Sanctissime et Beatissime in Christo pater ac Domine, Domine colendissime Humilimam mei commendationem et continuum, filialis obsequentiæ incrementum,
Ea sunt Reuerendissimi Archiepiscopi Neapolitanj erga Inclytum Domum nostram Austriæ merita, multis hactenus argumentis luculenter et re ipsa contestata, vt singulari ipsum beneuolentiæ affectione meritò prosequar. Hinc est, quòd iam pridem vti S.tem V.ram recenti memoria tenere arbitror, eandem tum per litteras, tum per eiusdem Nuntium in Aula Cæs.a residentem filiali studio diligenter, et affectuosè admodum requisiuerim, de eodem Archiepiscopo Neapolitano ad dignitatem Cardinalitiam promouendo. Cumque etiamnum summopere desyderem, rem hanc optatum tandem sortiri effectum, Eo certim, cum eundem Archiepiscopum ijs qualitatibus, virtutibus, rerum vsu, alijsque præclaris animi dotibus præditum esse constet, Vt hoc Ecclesiastici honoris fastigio in primis dignus, ac Reuerendissimo Cardinalium Romanorum Collegio haud exiguo ornamento futurus sit; prætermittere sane nec debui nec potui, quin S.ti V.ræ eundem denuò de meliori nota affectuosè commendarem. Quapropter S.tem V.ram filiali studio obnixè rogo, Vt prænominatum Archiepiscopum Neapolitanum, quem S.ti V.ræ aliàs commendatissimum esse scio, etiam meo nomine magis gratum charumque habere, ac sub prima promotione eundem Cardinalitia dignitate haud grauatim ornare uelit, ita quidem vt re ipsa constare possit, accuratam et reiteratam hanc meam intercessionem, sperato suo fructu neutiquam caruisse, sicuti de S.tis V.ræ benignè mihi gratificandi paterna voluntate planè mihi polliceor. Quò autem benigniorem hoc loci S.tas V.ra sese exhibitura est, tantò magis mihi curæ erit, vt eidem quauis oblata occasione, mutuis filialis obsequentiæ studijs respondeam, Quod reliquum est S.ti V.ræ prosperrimam valetudinem omni fælicitate auctam et cumulatam pro beneficio Ecclesiæ Dei, ex animo precor. Datum in Arce Regia Pragæ, die duodecima, mensis Nouembris, Anno Dnj 1.5.93.

Eiusdem S.tis V.ræ

obsequentissimus filius,

Archidux Austriæ

Ernestus

12 Nov. 1593

57

1200

6047-11

Robert Archiepus Glasgen.
Alexandrum Card.lem
credens.

Sanctissimo et Beatissimo in Christo Patri ac Domino. Dno
Clementi octauo, diuina prouidentia sacro sanctæ Romanæ,
et vniuersalis Ecclesiæ. Summo Pontifici. Domino meo colendis-
simo.

1960(A10408) BAGdu(s)

~~Ms. Lat. 149~~

Misc Mss